

Johannes Vorst Johannes Erich Dassel von

De Virtute Exercitatio

Rostochi[i]: Richelius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730214605>

Druck Freier  Zugang




R u phil 1657

Johann Vorstius

Johann Erik v. Sarsel





ΣΥΝΘΕΩ.
DE
VIRTUTE

EXERCITATIO,

Quam

In celebri Acad. Rostochiensi

SUB PRÆSIDIO

Pereximii & Clarissimi

DN. M. JOHANNIS VORSTII

Præceptoris atque Fautoris sui colendis.

Publicè defendendam suscipit

JOHANNES ERICUS von DÄSEER

Neo-Steinensis Pomeranus,

Ad diem XV^{III} Januarii.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.

Anno c¹o 176^{II} L^I.

DE virtute animus est pauca quædam commentari. De re, inquam, quam isto vocabulo significatam volumus. Sed πολυσημον est ipsum vocabulum. Et exponenda igitur ante omnia est πολυσημία ejus: subdendumq; tum postea, nos de re acturos, quæ isto vocabulo præcipue significatur.

II. Ipsum vocabulum non primitivum, sed derivatum aliunde esse, monuit is, cui in talibus fidem non adhibere vix integrum est, hoc est, Tullius. Hic in secundo Tusc. qq. ita scripsit: *Appellata est à viro virtus.* Et quod à viro dictam crederet virtutem, autumavit etiam vocabulo isto præcipue appellatam esse eam virtutem, quæ fortitudo dicitur, & Viri maxime propria est. *At qui vide, inquit, ne, cum omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab eâ unâ, quæ cæteris excellat, omnes nominatæ sint: appellata est enim à viro virtus: Viri autem propria maxime est fortitudo* &c. In his Cicero dicit, virtutis nomine primitus fortitudinem fuisse appellatam, ut adeo fortitudo & virtus ἰσοδυναμῶν fuerint: post autem illud nomen derivatum fuisse ad ea, quæ cum fortitudine sunt ἐν αὐτῷ ὄντι, ut Aristoteles loqui aamar. Si igitur virtus fuit proprium nomen fortitudinis, & quoque à viro vocabulum est derivatum: fecerunt Latini non secus, ac Græci. Hi enim fortitudinem αὐθρασίαν appellarunt, derivatâ voce ἀπὸ τοῦ αὐθρός.

III. Græcum quoque vocabulum δρετή, quod Latino respondet, fortitudini primitus videtur proprium fuisse. Quippe illud derivatum volunt παρὰ τὸν ἄριον. Deinde in composito ἐνάρεσις mansit ejus rei vestigium. Hoc enim fortem significat. Plutarchus in Coriolano hæc scripsit: ὅλως μὲν ἐν ἐν τοῖς τότε χρόνοις (τὸ Μαρκίον) ἡ Ῥώμη μάλιστα τὸ δρετῆς τὸ παρὰ τοῖς πελεμικῶς καὶ στρα-

ἡωλικῆς ἐκὺδανε περιζῆσι, καὶ ἐμφορτυρεῖτο, πῶ δὲ πῶ αὐτῶν
 ἐπὶ τῶ ἀνδρείας ὀνόματι περὶ σαγορεύεσθαι, καὶ ἴστο τῶ ἡρώς ὄνομα
 κριτὸν ὑπάρχειν, ὃ πῶ ἀνδρείας ἰδίᾳ καλεῖσι. Quid ex his col-
 ligemus? An illud, Græco vocabulo δρετιν fortitudinem seorsim fu-
 isse appellatam? Sanè de Romanis loquitur Plutarchus. Quid igi-
 tur de nomine generis speciei seorsim tributo dicit, id de Latino vo-
 cabulo virtus nos intelligimus. Deinde, si ita intelligamus, utrum
 colligendum ex istis Plutarchi idem illud est, quod Tullius dicit, vo-
 cabulum virtus primitus proprium fuisse fortitudini: post autem tri-
 butum fuisse his quoque, quæ cum fortitudine sunt ἐν αὐτῶ ἡρώ?
 An verò ita statuendum, vocabulum *virtus* cum antea commune fue-
 rit cæteris quoque rectis animi affectionibus, ut Tullius loquitur, post
 proprium fuisse factum fortitudini, & hanc eo nomine fuisse dictam
 καὶ ἀνδρομασίαν. Nos malimus colligere prius istorum.

IV. Ut uni rei proprium primitus fuit vocabulum *virtus*: ita
 factum postea est, ut non ea tantum, quæ cum fortitudine sunt
 ἐν αὐτῶ ἡρώ, temperantia puta, liberalitas, mansuetudo, virtutes ap-
 pellarentur, sed laicius etiam patere cœperit vocabuli usus. Id de-
 monstrabimus verbis ejusdem Tullii, & his quidem, quæ sunt in quin-
 to de finibus: *Animi autem, & ejus animi partis, quæ mens nominatur,*
plures sunt virtutes, sed duo prima genem: Unum earum virtutum, quæ
ingenerantur suapte naturâ, appellanturq; non voluntariæ: alterum ca-
rum, quæ in voluntate posite magis proprio nomine appellari solent, qua-
rum est excellens in animorum laude præstantia. Prioris generis est do-
cilitas, memoria: quæ ferè omnia appellantur uno ingenij nomine, casq;
virtutes quæ habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est ma-
gnarum venarumq; virtutum, quas appellamus voluntarias, ut prudenti-
am, temperantiam, fortitudinem, justitiam, & reliquas ejusdem generis.
 Ex his apparet, naturales quoque potentias, quæ quidem paulo excel-
 lentiores sunt, appellari virtutes: magis tamen proprio nomine vir-
 tutes appellari, quæ nostrâ industriâ nobis comparamus. Et omnino
 ita necesse est, non æquè propriè virtutes appellari docilitatem &
 fortitudinem: siquidem hæc non sunt ἐν αὐτῶ ἡρώ. Docilitas quidem
 naturalis potentia est: fortitudo verò habitus. Ut v. in aliis fieri solet,
 ut,

ut, si vocabulum usu factum sit *πολυσημαιζον*, voculas *Διακειλικας* illi adjungamus: ita in his quoque fecit Tullius, & naturales potentias, quæ quidem eximie sunt, virtutes vocavit non voluntarias: habitus vero virtutes voluntarias appellavit.

V. Porro, quæ virtutes Tullio voluntariæ appellantur, nec ipsæ æque proprie videntur virtutes dici, vel, ut amplius dicam, non sunt synonymæ respectu istius vocabuli. Virtutes voluntarias Tullius scripsit has esse, prudentiam, justitiam, temperantiam. Ex quo apparet, quendam habitum intellectus & quendam voluntatis ab ipso poni *εν αυτω λυφ*. At hoc non potest. Qui accuratè philosophatur, is primò omnium de ipsis rebus genuinis suis differentiis discernendis debet esse sollicitus: deinde si rei nomen est inditum, utatur illo; si minus, ipse vocamen imponat, vel *ονομαζουζων* vel *ονομαζουζων*, ut Aristoteles appellat, hoc est, ut vel ipse fingat nomen, ad analogiam tamen suæ lingvæ, vel nomen, quod jam ante fuit, novum significatum obtinere jubeat. Ad eum modum hic & nos agamus. Prudentiam habitum esse *Διανοητικον* verum est & nemo negat. Fortitudinem vero & temperantiam habitus *ηθικας* esse itidem est certum. Habitus vero *δ Διανοητικος* & habitus *ηθικος* contradistinctæ sunt species, quæ sub habitu animi ut genere continentur. Jam si prudentia & fortitudo respectu vocabuli virtus essent synonymæ sive univocæ, necesse esset illud ipsum vocabulum idem significare quod significat habitus animi. Porro si ita esset, sub virtute (vocabulum jam finximus æquipollere habitui animi) contineretur & ipsum vitium. Hoc n. habitum animi esse citra controversiam est. Illud vero absurdum esse, facile intelligitur. Ostenso, prudentiam & fortitudinem respectu vocabuli *virtus* non esse synonyma sive univoca, facile intelligitur, homonyma esse, hoc est, talia, quæ idem nomen virtus habeant, sed ita, ut *λογος εστις εστις definitio essentia* sit diversa. Quia vero vocabulum æquivocum est factum, necesse habuerunt Philosophi voculas *Διακειλικας* addere, & virtutem distingvere in intellectuales & morales. Distinctio, inquam, fit, sive *Διακρισις τω ονοματι* *divisio nominis*, cum virtutem dicimus esse vel intellectualem vel moralem; non divisio generis in species. Qualem vero homonymiam

Hic dicemus esse? Utrum talem, quæ σωφροσύνη est, καὶ ὁμοιοτήτως
ἵνα ἔχη? an verò talem, quæ sit ὅτι τὸ πρόριον? Apparet prioris esse
generis, qualem solent vocare homonymiam consilio.

VI. Quæ de homonymiâ diximus Latini vocabuli, ea apparent
etiam in Græco δρετή. Adscribam pauca verba Philosophi, ex quibus
id intelligi liceat: Καὶ γὰρ ἡ δρετή παρεπλησίως ἔχεται, ὡς ἡ Φενησις
πρὸς τὴν δεινότητά. Οὐ γὰρ τῶν μὲν, ὁμοιον ᾗ. ἔται καὶ ἡ Φυσικὴ
δρετή πρὸς τὴν κυρίαν, lib. VI. Eth. Nic. c. ult. Est in quibusdam
hominibus pronitas quædam ad certas virtutes, e. c. ad liberalitatem,
fortitudinē, iusticiam. Ista pronitas, quæ naturalis potentia utique
est, dicitur Aristoteli Φυσικὴ δρετή, naturalis virtus. Promptitudo
autem, liberaliter, fortiter & iuste agendi, quam usu & industriâ nobis
comparamus, eidem dicitur δρετή ἢ κυρία virtus præcipua, hoc
est propriè dicta. Quia duæ istæ res, illa, inquam, pronitas, & ista
promptitudo valdè cognatæ sunt (altera enim alteram facillè sequitur)
factum est ut communi nomine sint appellatæ. Uni tamen magis
propriè competit vocabulum, quam alteri. Et unam igitur
δρετὴν κυρίαν appellat Philosophus: alteram adjectione voculæ
Φυσικῆ ab alterâ distinxit.

VII. An verò & prudentiam, scientiam, aliq̄s id genus comprehensa
voluit sub appellatione δρετῆς κυρίας virtutis propriè dictæ?
Non videtur. Dicit Philosophus τὴν Φυσικὴν δρετὴν habere se ad
τὴν κυρίαν, quemadmodum se habet ἡ Φενησις πρὸς τὴν δεινότητά
prudentia ad istam naturalem vim, ex quâ prudentia facillè generatur.
Dum ita analogiam instituit, & τὴν Φενησιν atque τὴν δεινότητά
posuit in alterâ analogiæ parte, Φυσικὴν verò δρετὴν & δρετὴν
τὴν κυρίαν in alterâ: facillè apparet, τὴν Φενησιν non esse participem
appellationis τὴν κυρίας δρετῆς. Idem verò liquet etiam ex eo,
quod Philosophus paucis interjectis hæc addit: τὸ μὲν ἀρετὴ Φυσικὴ,
τὸ δὲ ἢ κυρία. καὶ ἴσταν ἢ κυρία ἐγένετ' ἀπὸ Φενησιος.

VIII. Sed scimus, Philosophum prudentiam, scientiam & id
genus alia sæpissimè appellare ἀρετὰς: & divisisse ipsum πρὸς ἀρετὰς
in τὰς τὴν Διανοίας ἢ Διανοητικὰς, καὶ τὰς τὴν ἤθεος ἢ ἠθικὰς. Vide
modo

modò extremum librum I. Eth. Nic. & prima libri secundi & sexti. Quid igitur dicemus? Illud nimirum, cum ita fecit Philosophus, vocabulum ἀρετή factum esse homonymum: propriè quidem competere liberalitati, fortitudini; secundum proportionem verò sive similitudinem prudentiæ, scientiæ & his similibus: esse deinde homonymiam notatam oculis distinctivis, ἡ Διανοητικὴ, ἡ ἠθικὴ, quæ admodum homonymiam vocabulorum, oratio, enunciatio, ratiocinatio, notamus additione vocularum *externa, interna*. Sed vocabulum ἀρετή Philosophus etiam latius usurpat, quam hæcenus expositum est. Optimum habitum cujuscunqve rei, etiam inanimata, ipse ἀρετὴν appellat in secundo Eth. Eudemiorum: ἰματίς ἀρετὴ ἐστὶν ἡ ἀρεσίη ἐξ ἑστῆς ἰσότητος. Sic & alibi passim.

IX. Quod fortitudinem, liberalitatem & his similia Aristoteles existimaverit maximè propriè dictas esse ἀρετὰς, id satis etiam apparet ex eo, quod ubi de eo significato vocis agit, quo fortitudini & liberalitati potest competere, omittit voculam Διακριτικὴν, & sine addito ita virtutem definit: Ἐστὶν ἀρετὴ ἡ ἀρετὴ ἐξ ἑστῆς ἀναρρητικῆς ἐν μέσῳ ἴσας, ἢ ἡ ἀρετὴ ἡμῶν, ἀρεσμονὴ λόγου, καὶ ὡς ἀνὸ φρόνησις ὁρῶσαί, *Virtus igitur est habitus electivus in mediocritate, quantum ad nos, consistens: quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit, atque ita ut prudens præfinitet.* Et de naturâ istius rei, quam vox Græcâ ἀρετὴ præcipuè significat, & fortasse Latina itidem, nos pauca quædam nunc porro subdemus.

X. Principio circumspiciamus unius cujusdam generis entia, ea puta, quæ sunt ἐν πύοτι & ἕδῳ. In hoc deprehendimus primo naturales potentias sive facultates: deinde, qui illis superstruuntur, habitus. Habitus verò animadvertimus vel infusos esse vel acquisitos. Acquisitos porro habitus non ineptè fortassis dividere licet in hos, qui sunt corporis, & illos qui sunt animi. Habitus animi dividere licet in dianoëticos & ethicos. Habitus dianoëticus definiatur, quod talis sit, qui in mente sedem habeat, & mentis exercitatione acquiratur: habitus ethicus verò, quod in appetitu sedem habeat. Ita habitus dianoëticus & ethicus satis separati fuerint.

XI. Porro verò sub habitu ethico complura continentur, fortitudo

titudo puta, intemperantia, liberalitas, iniustitia, mansuetudo, veracitas, aliaq;. Quæ omnia an referre licet ad duo genera, quæ habitus ethici sint species? Licet omnino. Omnis igitur habitus ethicus, hoc est, qui in appetitu residet, vel talis est, quo prompti sumus ad agendum aut omittendum, quod recta ratio agere aut omittere jubet, vel talis quo prompti sumus ad agendum aut omittendum, quod recta ratio omittere jubet aut agere. Ita entium speramus nos distinctos habere conceptus.

XII. Quoniam res separavimus, imponendum illis vocaberit. Cogitemus igitur, quo nomine Latini, quo item Græci appellare soleant illum habitum ethicum, quo prompti sumus ad agendum aut omittendum ea, quæ recta ratio agere aut omittere jubet. Apparuit ex superioribus, quasdam etiam naturales potentias virtutes fuisse appellatas. Sed monuit Tullius, magis proprio nomine virtutes dici alia quædam, prudentiam puta, justitiam, temperantiam. Porro hæc quoque, quæ Tullius memoravit, non possunt sub unum conceptum redigi, qui nomine virtutis possit appellari. Conveniunt tandem in conceptu habitus animi. Huic verò conceptui exprimendo vocabulum virtus non est aptum. Ita enim virtus ipsa quoque vitia comprehenderet. Videtur vocabulum proprium esse conceptui habitus ethici, quo prompti sumus ad agendum aut omittendum ea, quæ recta ratio agere aut omittere jubet.

XIII. Si nunc igitur virtus est definienda, definiatur hunc in modum: *Virtus est habitus ethicus, quo prompti sumus ad agendum aut omittendum ea, quæ recta ratio agenda aut omittenda esse dicitur; sive, quæ agenda aut omittenda esse per rectam rationem, atque adeo per legem naturæ sive principia naturæ nota scimus aut scire possumus.* Habemus ἡ ἐπιστήμη ἢ νόμον ἢ πρῶτον ἢ τὸ ἐστὶν καὶ ἢ τὸ οὐκ εἶναι τὸ εὖ ποιεῖν τὸ εὖ ποιεῖν, definitionem ejus, quid res sit, & quid significet nomen. Habemus verum genus, proximum nimirum. Habemus veram differentiam, quæ virtus ab oppositâ specie optimè ac commodissimè separatur.

XIV. Sed ut differentia rectiùs intelligatur, addenda de eâ nonnulla fuerint. Quod in eâ dicitur, prompto nos esse ad agendum, id quidem de naturâ est omnium habituum. Repetendum tamen tale quid est, ut differentia cum genere aptiùs cohæreat, & faciliùs intelligi

queat intelligi. Quòd dicitur, adagendum aut omittendum nos promptos esse, id tale est, ut & actiones internas, appetitionem & averfationem, & deinde ipsas externas comprehendere queat. Proponemus exempli causà actiones hominis liberalis. In eo primò est actio interna, hoc est, ^{re} cupere beneficium exhibere ei, cui exhibendum id esse recta ratio dicitur: deinde est actio externa, cum, quod exhibere cupit, reipsà exhibet, pecuniam vel aliud quid promendo, & alteri donando. Ubi actio ista interna revera existit, facile sequitur externa, si modo necessariæ conditiones non desint. Quod si desint necessariæ conditiones, interna illa per se est laude digna, quamvis externa non sequatur. Ex illis autem junctis fit perfecta actio, qualem solet spectare ethicus. Est igitur liberalis per virtutem suam promptus & ad dictas internas, & ad externas, id est, sine molestiâ ac ægritudine cupit beneficium in aliquem conferre, & quod cupit, id promptè etiam exsequitur.

XV. Adduntur porrò in definitione hæc, *ea, quæ recta ratio agenda aut omittenda esse dicitur, sive, quæ agenda aut omittenda esse per rectam rationem, at quæ adeò per legem nature sive principia natura nota scimus aut scire possumus.* Agere & omittere eodem modo hic intelliguntur, ut in præcedentibus, ut nimirum comprehendant & internas & externas actiones. Recta ratio ponitur, ut norma quædam. Per eam autem non intelligimus ipsam animam, nobiliorem nostri partem: neque naturalem potentiam ei inhaerentem, intellectum puta; sed scientiam illarum conclusionum, juxta quas instituimus actiones nostras, quæque ex principiis naturæ notis deducuntur. Solent duæ voces, *recta ratio*, etiam latius usurpari, ut nimirum comprehendant eas quoque conclusiones, quæ ex principiis theoreticis deducuntur. Sed nos omnia illa considerare nunc quidem non necesse habemus. Atque igitur per duas voculas ea modo intelligimus, quæ diximus. Si quis exempla desiderat talium conclusionum, quarum scientiam appellamus rectam rationem, is facile ea deprehendere potest. Consideret modo propositiones de singularibus, juxta quas actiones solemus instituere, has puta: hic homo hæc pœnâ est afficiendus: hoc promissum est servandum: in hunc hominem beneficium est conferendum. Sed conclusiones istæ non fiunt, nisi ex principiis

cipiis naturâ notis sive ex lege naturâ: Quare & de his in definitio-
ne aliqua facta est mentio. Quidam appellatione rectæ rationis com-
prehendunt ipsa quoque principia naturâ nota. Et nos sane non
magnopere repugnabimus, si modo advertatur, scientiam principii
naturâ noti, & scientiam conclusionis ex isto principio deducta non
prorsus idem esse. Ut tamen distinctè sentire commodius quea-
mus, distinctè etiam loquemur.

XVI. Principia de rebus agendis aut omitendis naturâ nota
sunt ista, quæ in Institutionum Justinianearum frontispicio sunt posi-
ta, & tria juris præcepta appellantur: *Honestè vivere, alterum non læ-
dere, suum cuique tribuere.* Intelligenda hæc sunt, ac si per modum
præcipiendi expressa essent: honestè esse vivendum, neminem læ-
dendum, suum cuique tribuendum. Ex his tamen unum compre-
hendit alterum. Duo posteriora quidem comprehenduntur à pri-
mo. Qui dicit, honestè esse vivendum, is hoc vult dicere, ita esse
vivendum, ut recta ratio imperat, sive ut per rectam rationem &
prudenter scimus vivendum esse. Nam alia vocis *honestè* non
potest esse notio. Sub isto igitur comprehenditur tertium, *suum
cuique esse tribuendum.* Quod ut appareat, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ita argumen-
tamur: Id quod agendum esse per rectam rationem scimus, est agen-
dum. Suum cuique tribuere est tale quid, quod per rectam rationem
scimus agendum aut non omitendum esse. Igitur suum cuique tri-
buere est tale quid, quod est agendum. Vel, si à loquendi usu hoc
abhorret, concludamus ita: Ergo suum cuique est tribuendum.

XVII. Porro sub tertio præcepto continetur secundum. Qui
dicit neminem esse lædendum, is hoc vult dicere, neminem privan-
dum esse bono aliquo præcipue corporis, v. c. sanitate, vel alio quo-
dam, sive cuique relinquendum (non auferendum) esse bonum su-
um. Inter ea, quæ sunt alicujus, est utique & ipsa sanitas. Ergo,
qui sanitatem alicui relinquit, relinquit ipsi, quod ipsius est. At dices,
ἢ relinquare, sive non auferre, non prorsus idem est cum τὸν tribue-
re: atque igitur tertium præceptum sub secundo non contineri. Fa-
teor, non prorsus idem esse. Quod igitur diximus, ex hypothese est
dictum. Scimus iustitiam vulgò ita defini, quod sit constans vo-
luntas suum cuique tribuendi. In eâ definitione sub τὸν tribuere con-
tinetur

tinetur utriusque etiam γ relinquerere sive non auferre, non eripere. Nam id contineretur, definitio angustior esset definito suo. Nam & illum justum vocamus, qui promptus est ad suum cuiusque relinquendum, uti injustum rursus, qui suum unicuique non relinquit. Si igitur in definitione justitiae sub α tribuere commode continetur γ relinquerere: sub tertio præcepto commode itidem continebitur secundum.

XVIII. Sub tertio illorum trium, quæ memoravimus, continentur multa alia, inter quæ & hoc est: *promissa sunt servanda.* Quod verè promissum alteri est, id in ipsius possessionem sive dominium verè jam est translatum, atque est ipsius. Qui igitur fidem datam solvit, is tribuit alteri, quod est ipsius. Ut manifestè appareat, colligamus ita: Quod est alterius, id ipsi est tribuendum. Quod promissum alteri est, id est alterius. Igitur quod promissum alteri est, id ipsi est tribuendum, hoc est, *promissa sunt servanda.* Apparet, credo, γ promissa sunt servanda, sequi ex hoc, suum cuiusque est tribuendum. Quamvis autem hoc novissimum, quæque illi sunt similia ex aliis colligantur, tamen & ipsa dici possunt principia, quia nimirum valde generalia sunt, & innumeras ex iis conclusiones colligere licet.

XIX. Talia principia, qualia hæcenus consideravimus, Aristoteles appellat *δικαιον φυσικόν*: quod etiam præclare ita describit: γ πανταχῃ κτλ αὐτῶ ἐχον δικαίαν, ὡσαύτῃ γ πῶ κτλ ἑστῆς κτλ ἐκ πέρας καί, l. V. de morib. c. decimo. Quod Juri jus naturale vocant, id huc non pertinet. Cum enim jus naturale definiunt, quod natura omnia animalia docuit, intelligunt naturales modò ὁμοίως. Quod autem jus gentium iidem vocant, id huc omninò pertinet. Ipsum vocabulum jus valde est homonymum. Significat enim vel id, quod facere aut omittere omnino oportet, sive quod qui omittit aut facit, peccat & summum Numen offendit: vel id, quod licitum est, sive quod si quis faciat aut omittat eo non peccet: vel denique significat alia. Nonnulli cum de jure naturali & gentium loquuntur, intelligunt vocabulum jam primo, jam secundo significato. Nobis hîc tantùm primus significatus est observandus.

XX. Sed constat ea, quæ naturâ nota sunt, non apud omnes æ-
què obtinere. Rectè quidam ex lumine naturæ agnoverunt, non li-
cere *ἀυτόχρησθαι* esse. Fecerunt id Plato, Aristoteles, & alii. Stoici
verò id in summis laudibus habuerunt, si quis sibi ipsi violentas manus
intulisset. Rectè etiam ex lumine naturæ agnitum est veteribus
ethnicis, non licere sororem in matrimonio habere. At alii fue-
runt, quibus id non turpe, sed licitum fuit visum. In quibus Corn.
Nepos Athenienses quoque numerat, ut ex ejus libelli frontispicio vi-
dere est. Sed ex Andocide, antiquissimo Oratore, ostensum est à
doctissimo Mureto, falsum id esse, quod Corn. Nepos prodidit, Ci-
monem in matrimonio sororem germanam habuisse, eò quod cives
ejus eodem uterentur instituto: fuisse verò Cimonem in exilium
ejectum *ἄφ' ἑλπίος πατριάρχων*, quòd legem Atheniensium de non ha-
bendâ in matrimonio sorore germanâ contempsisset. Videlib. VII.
var. lect. c. 1. Est autem in talibus attendendum ad nationes cultio-
res. Apud barbaros, Persas puta & his similes, licitum olim fuit, so-
rorem germanam in matrimonio habere: apud Græcos & Roma-
nos non item. Observandum est *ὅτι φανόμηνον τοῖς ἀρεταίοις.*
ποτὸν αἰὶνὸν φησὶν καὶ λύμαι ἀθροῦσιν γίνονται, uti Philosophus judi-
cat in decimo de moribus, cap. quinto.

XXI. Ex principiis naturâ notis deducuntur certæ conclusio-
nes de rebus agendis, eæque vel universales vel particulares. Ex prin-
cipio, suum cuique est tribuendum, paulo ante collegimus hanc
propositionem, promissa sunt servanda. Hæc verò propositio &
ipsa universalis est, vel potius vim habet hujus universalis, omne pro-
missum est servandum. Nihil autem prohibet, hanc universalem
paulum restringi, & intelligi de servando modo promisso licito. Ta-
lis nimirum vis est in nostro intellectu, ut propositionem ita restrin-
gendam esse faciliè animadvertat. Porro ex istâ universali propositio-
ne colliguntur particulares hoc modo: Ergo & hoc promissum
est servandum. Scientiam hujus conclusionis atque ei similiarum su-
pra indicavimus appellatione rectæ rationis à nobis indigitari.

XXII. Porro illarum conclusionum, quæ ex principiis naturâ notis
colliguntur, quædam facili negotio colliguntur: aliæ v. non nisi sedulo
dispectu

dispectu instituto, & non nisi à viris multa singularia expertis possunt confici. Principium naturâ notum est, suum cuiq; esse tribuendum: & hoc facile à quovis agnoscitur pro vero. Ut a. ex principio isto conclusionem eliciamus, non semper res expedita est. Faciamus de re quâpiam *περὸ λαψιν*, & deinde concludamus, hoc nimirum modo: Hæc res est hujus viri, sive ab hoc viro possidetur. Igitur hæc res istius viro est tribuenda. Fures & qui alios defraudant, facile possunt scire minorem istam, & facile possunt conclusionem facere, juxta quam aclus suos dirigant ac moderentur. Quandoque autem de istiusmodi minore propositione multum est laborandum, & JCtis, & qui judicia exercent, uti id inter omnes constat.

XXIII. Consideremus etiam aliorum quorundam definitiones. De suâ ætatis hominibus Aristoteles in extremo sexto Ethic. hæc habet: *Omnes cum definiunt virtutem, περὸ ἡγάσι τὴν ἔξιν, εἰπόντες, καὶ περὸ ἃ ἐστὶ, τὴν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον.* Ubi habitum eam dixerunt & ad quæ est, adjungunt secundum rectam rationem. Recta autem ratio est, quæ secundum prudentiam est. Videntur igitur existimare omnes, talem habitum esse virtutem, qui secundum prudentiam existit. Paululum tamen progrediendum est. Virtus enim non tam (tantum) secundum rectam rationem, quam (sed etiam) cum rectâ ratione habitus est. At recta de hujusmodi ratio est prudentia. Ac Socrates quidem virtutes existimabat λόγους rationes esse: scientias enim eas esse omnes dicebat. Nos cum ratione esse arbitramur. Quod Socrates pronuntiavit, virtutes, v. c. fortitudinem, temperantiam, liberalitatem scientias aut prudentias esse, in eo graviter erravit, & ab Aristotele rectè est reprehensus. Nam non ipsum scire quomodo justè, liberaliter, fortiter sit agendum, justitiam, liberalitatem & fortitudinem dicimus, sed illos habitus, quibus prompti sumus ad ita agendum. Sanè distincta res sunt scire, quomodo agendum sit, & velle ita agere, vel potius promptum esse ad ita agendum, ut agendum scimus. Cui probando illud satis est, quod prius horum potest existere, cum non existit posterius.

XXIV. Alii, ut apparet, ita definierunt: *Ἡ ἀρετὴ ἐστὶν ἔξις ἢ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον.* Virtus est habitus secundum rectam rationem. Atque

que id Philosopho minimè fuit improbatum. Siquidem, qui dicat virtutem esse habitum secundum rectam rationem, dicat etiam eam esse secundum prudentiam. Hoc tamen monendum putavit, virtutem non tantùm secundum rectam rationem, sed etiam cum rectâ ratione habitum esse. Videtur autem ea veterum definitio, ab eâ quam nos dedimus, non multum discrepare. Tantùm genus non proximum est, sed remotum. Deinde ea, quæ differentiâ loco ponuntur, paulò distinctius & explicatius posita sunt in nostrâ definitione, quam in illâ veterum.

XXV. Quomodo Aristoteles virtutem definiaverit, id jam supra exposuimus. Dixit nimirum, eam esse *ἐν θεωρητικῶν, ἐν πρακτικῶν ἢ ἐν ποσειδωνικῶν*, *ἐν ποσειδωνικῶν ἢ ἐν ποσειδωνικῶν*, *ἐν ποσειδωνικῶν ἢ ἐν ποσειδωνικῶν*, *ἐν ποσειδωνικῶν ἢ ἐν ποσειδωνικῶν*. De differentiâ, quæ in illâ Aristotelis definitione apparet, dispiciemus paulùm. Quomodo intelligemus virtutem esse *μεσότης*, aut esse *ἐν μεσότητι*? Non possumus aliter, quam virtutem esse tale quid, quo prompti sumus ad edendum actiones *μέσους* *medias*, sive in quibus est *ἡ μέσος*. Ostendit hoc ipse Philosophus. Cum enim definitionem posuisset, mox addit ista: *Vitia alia deficiunt ab eo, quod fieri debet, alia exsuperant & in affectibus & actionibus: virtus vero medium & invenit & eligit, in iisdem puta affectibus & actionibus.*

XXVI. Medium, quod in actionibus rectis posuit Philosophus, idem addidit *πρὸς ἡμᾶς ad nos* esse, non *κατὰ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα secundum ipsam rem*, quod ab utroque extremo æqualiter distet. Deinde medium illud definiri & determinari ratione ac prudentiâ. Sane non diffitendum est, esse virtutes, quibus prompti sumus ad affectus & actiones moderandas, hoc est ad edendum affectus & actiones moderatos. In temperantiâ res apparet. Eâ ipsâ enim prompti sumus ad appetitionem ac usurpationem cibi ac potus non nisi moderatam. Appetitio est actio, quam unâ cum alijs quibusdam peculiari nomine affectum dicimus. Sumptio cibi est iudem actio. Istæ actiones si nimis frequententur, dicitur in illis esse *ὑπερβολὴν excessus sive nimium* & sunt pravæ actiones. Si non nimium frequententur, dicitur in iis esse *ἡ μέσος ἢ μεσότης*, atque adeo rectum sive bonum. An verò in quibusvis affectibus ac actionibus rectis istiusmodi deprehendere est medium

medium, quæ in sumptione cibi ac potus apparet? Non sanè. Animadvertimus, affectus & actiones esse, quæ non possunt nimium frequentari: quæ quo magis frequententur, eò is, qui frequentat, laude sit dignior, e. c. Vitia seculi intuentem indignari, DEUM diligere, de victis hostibus aut oppresso tyranno latari, stupem erogare in pauperes, alteri tribuere, quod ipsius est. Quæ verò actiones non possunt nimium frequentari, sive in quibus actionibus non potest apparere nimium, in iis nec medium poni potest.

XXVII. Rursus non omnes pravæ actiones tales sunt, ut *ὑπερβολῆ* excessus sive nimium in illis possit animadverti. In nimia sumptione cibi ac potus facile equidem apparet. At non perinde in aliis, e. c. in appetitu & usu Veneris, quam appetere & quæ uti non licet: in furto & homicidio, atque id genus aliis. Hæc ferè sunt, quæ jam olim Lactantius monuit, cum in sexto Instit. c. 16. hæc scripsit: *Non in affectibus moderandis sapientiæ ratio versatur, sed in causis eorum, quoniam extrinsecus commoventur, nec ipsis potissimam frenos imponi oportuit, quoniam & exigui possunt esse in maximo crimine, & maximi possunt esse sine crimine.* Nostrâ vero ætate differentiam illam, quæ in definitione Philosophi est, improbarunt Clarissimi Viri, inter quos sunt Balth. Meisnerus, Hugo Grotius & Abrah. Schulterus.

XXIX. Ut autem rectius res intelligatur, observandum est, si propriè & accuratè loqui velimus, in cuius generis actione medium ponitur, in eadem debere & nimium poni, & rursus, in quâ ponitur nimium, in eadem poni debere & medium. *ἢ ὑπερβολῆ* nimio in sumptione olei vitrioli respondere debet medium non in sumptione alterius cuiusdam rei, sed utique quod sit in ejusdem olei sumptione. Ponamus igitur cuiusdam generis actionem, *suum ipsius vinum bibere.* In hæc quia nimium esse potest, potest & medium esse. Ponamus & alterius generis actionem, hanc puta, *vinum alterius, qui quidem vini usum mihi non concesserit, bibere.* In hæc dicunt esse nimium. Nam in omni pravâ actione illud ipsum credunt esse. Nos contra dicimus, non posse eam actionem nimiam dici, quod in eadem non possit locum habere medium. Quid quæso vocabimus nimium in actione? Illud sanè, si cuiusdam generis actio nimium frequentetur, aut nimis diu duret, aut nimis intendatur. Si igitur dicimus, in actione, quâ

quã vinum alterius bibimus, nimium esse, id sanè necesse est intelligi, ejus vini bibitionem nimis frequentari. Porro si hoc dicimus, vini bibitionem nimium frequentari, tacitè innuimus, licere bibere istud vinum, si modo bibitio non nimium frequentetur, sive si modo medium sit in bibitione. Consideremus etiam furis nocturni actionem. Ea utriqve est prava: atqve igitur in illà ex vulgari sententiã est nimium sive excessus. Nos id negamus: propterea quòd in ejusdem generis actione non potest esse medium. Nimirum in actione sive nimia actio dicenda utriqve est, quæ nimis sæpe frequentatur, aut nimis diu durat, aut nimis intenditur. Si igitur furis actio est nimia, dicenda talis fuerit, quòd nimium frequentetur, aut nimis diu duret. Sed dicere eam actionem, nimium frequentari *ὁρθῶς* sanè est & absurdum. Nam qui hoc dicit, is tacitè innuit sive subaudit, eam actionem esse licitam, si modo non frequentetur nimium, & posse in eà actione medium quid esse. Observare licet, nimium & medium non nisi in actione per se indifferente posse poni, e. c. in sumptione cibi aut potus qui noster sit, in Venere licità, & id genus aliis.

XXIX. Quoniam apparuit, non in omnibus rectis actionibus posse medium poni, id quoque facile liquere potest, non omnem virtutem istiusmodi esse habitum quò prompti sumus ad edendum tales actiones, in quibus medium sit: atqve igitur definitionem virtutis, quam Philosophus dedit, angustiozem esse quam ipsa res definenda est. Quòd nos in nostrà definitione de rectà ratione diximus, id adeo non improbavit Philosophus, ut vel centies scripserit, per virtutem nos agere, *ὡς ὁρθῶς λόγῳ λέγειν*. In omnium etiam virtutum descriptione inculcat ista, *ὅτι δὲ, καὶ ἐφ' αἷς, καὶ πρὸς ἑς, καὶ ἐνεκα καὶ ὡς*: itemq; *τὸ πρῆπον καὶ τὸ δέον διατηρεῖν*. Quæ sanè omnia nostrisvalde sunt consentanea.


COROLL. I. *Hebræorum Rex David non brevi, sed procero fuit corpore.*

II. *Idem, cum DEUM consulere voluit, non ipse induit Ephod, sed Abjatharem induere jussit, perq; hunc postea consuluit.*

III. *Solis virginibus Ἐπικλήσεως non licuit nubere viro, qui ex eadem cum ipsis tribu non esset oriundus.*

IV. *Ex Matth. X. 10. non est colligendum, discipulos CHRISTI non fuisse usos ὑποδήμασιν, ἢ σενδαλίαις.*

V. *Herodem fuisse ἀλωφύλον cum Eusebio putamus & multis aliis.*



medium, quale in sumptione cibi ac potus apparet? Non si
animadvertimus, affectus & actiones esse, quæ non possunt
frequentari: quæ quo magis frequententur, eò is, qui frequen-
desit dignior, e. c. Vitia seculi intuentem indignari, DEUM
de victis hostibus aut oppresso tyranno latari, stupem erogari
peres, alteri tribuere, quod ipse est. Quæ verò actiones
sunt nimium frequentari, sive in quibus actionibus non pot-
rere nimium, in iis nec medium poni potest.

XXVII. Rursus non omnes pravæ actiones tales
ὑπερβολή excessus sive nimium in illis possit animadverti.
sumptione cibi ac potus facile eadem apparet. At non pe-
aliis, e. c. in appetitu & usu Veneris, quam appetere & quæ
licet: in furto & homicidio, atque id genus aliis. Hæc fe-
quæ jam olim Lactantius monuit, cum in sexto Instit. c. 16. I-
psit: *Non in affectibus moderandis sapientia ratio versatur, sed
eorum, quoniam extrinsecus commoventur, nec ipsis potissimum
imponi oportuit, quoniam & exigui possunt esse in maximo crimi-
maximi possunt esse sine crimine.* Nostra vero ætate differe-
lam, quæ in definitione Philosophi est, improbarunt Clarissimi
inter quos sunt Balth. Meisnerus, Hugo Grotius & Abrah. Sch-

XXIX. Ut autem rectius res intelligatur, observandum
proprie & accurate loqui velimus, in cuius generis actione r-
ponitur, in eadem debere & nimium poni, & rursus, in quâ
nimium, in eadem poni debere & medium. *ἡ ὑπερβολή*
sumptione olei vitrioli respondere debet medium non in sum-
alterius cuiusdam rei, sed utique quod sit in ejusdem olei sum-
Ponamus igitur cuiusdam generis actionem, *sum ipsius vitrioli*
In hæc quia nimium esse potest, potest & medium esse. Pon-
alterius generis actionem, hanc puta, *vinum alterius, qui quæ
usum mihi non concesserit, bibere.* In hæc dicunt esse nimium
in omni pravâ actione illud ipsum credunt esse. Nos com-
mus, non posse eam actionem nimiam dici, quod in eadem n-
sit locum habere medium. Quid quæso vocabimus nimiam
one? Illud sanè, si cuiusdam generis actio nimium frequenter
nimis diu durer, aut nimis intendatur. Si igitur dicimus, in a

